

quoddam glossopetræ falsò credantur esse viperarum lingue, miraculo Divi Pauli petre factæ, inferius hæc pluribus demonstraturus.

A. 3. Plumbum nigrum *Offic.* Nigrica fabrilis *Mer. Pin.* 218. *Charlt. Foss.* 2. Massa nigra ad Pnigitem referenda *Worm.* 5. Ochra nigra *Phil. Transf.* N°. 240. p. 183. An Creta nigra mollis & dura *Kentman* 7? **Black Lead.** *Matth. Bello.* Invenitur in fodinis. Mollis est, sed tamen consistentiæ firmioris, levis, & splendens, non petrosa, in frusta variæ magnitudinis divisa. *Vires.* Refrigerat, siccat, repellit. Usus præcip. adversus strumas tumoresque frigidos & Phlegmaticos. Ad ducendas lineas, & monochromata à pictoribus & fabris usurpatur. N. B. Optima censetur quæ invenitur in Anglia, v. g. apud Keswick in agro Cumberlândia; quæ ex Hispania adfertur fragilis est, pessima quæ ex India Orientali advehitur.

A. 4. Creta Selinusia *Offic. Aldrov. Mus. Metall.* 248. Terra Selinusia, *Matth.* 1392. *Calc. Mus.* 126. **Earth of Selenusia.** Maximè laudatur, quæ vehementer resplendet, candida, friabilis, & humore dilui celerrima. *Vires.* Siccat & astringit, ad ulcera commendatur. Quamvis terra Eretria, Chia, Selinusia, Pnigitis & Melia antiquis notissimæ fuerint, & in usu Medico frequentissimæ, ut auctor est *Galenus*; tamen ab his, qui nos præcesserunt, adeo neglectas fuisse constat, ut nulla ampliùs quod sciam (inquit *Matthiolus*) ad nos adferatur.

Cretas diversimodè coloratas enumerat expertissimus *Kentmannus*. 1. Cretam Argentariam, in quâ micæ argenteæ internitent. 2. Luteam mollem, quæ facillimè lineas ducit. 3. Cæruleam, quæ fabris in pingendis parietibus in usu est. 4. Viridem duram. 5. Nigram mollem & duram, argenteis maculis nitentem. 6. Fabrillem candidam, ex quâ *Cataloni* ad Matronam parietes & muros extruunt, unde etiam *Algeriæ* portus extructus dicitur. Apud *Wormium* invenio Cretam Umbriam coloris fusci, pictoribus maximè expetitam, eâ enim Umbras in picturis exprimere solent.

Terra Japonica improprie sic dicta non hujus classis est, non enim præparatio Terræ Indicæ, sed vegetabilis seu fructus *Fausel* dictæ, ut loco suo ostendemus.

SECTIO TERTIA.

De Sulphuribus Medicamentosis.

Sulphur est resina seu terræ pinguedo inflammabilis, fitque ex perittomate macrocosmico pingui, respon-

dente in *Phytologia*, *Oleis*, & *Resinis*; in *Zoologia*, *Pinguedini Asungiaque*. Sulphur in Oleo solubile est, & gravem odorem præbet, ex Pyrite efflorescere videtur, observante *Schwenkfeldio*, 394.

I. De Sulphure.

EST Resina sive pinguedo terræ chalcantiosa, aciditate gravida, *Schrod.* pag. 501.

Sulphur nativum & vivum *Offic.* Sulphur nativum, *Schrod.* 501. *Aldrov. Mus. Metall.* 364. Sulphur nativum seu vivum *Charlt. Foss.* 12. Sulphur fossile, *Agricol.* 592. Sulphur fossile seu vivum & nativum *Worm.* 26. Sulphur vivum *Schw.* 394. *Matth.* 1370. Sulphur luteum nativum *Kentm.* 18. Sulphur vivum nativum seu ignem non expertum *Dougl. Ind.* 88. **Sulphur Alve.** Ex terra effoditur, triplex est; vel purum, quale ex Goslaris fodinis eruitur; vel impurum, quale ex Islandia erudum adfertur; vel fixum, ex monte Vesuvio aliisque Vulcanibus. Præfertur purum, solidum, interdum scissile & ignis expers. *Vires.* Calidum & siccum est, pectori dicatum; aperit, incidit; putredini, veneno, venenatorumque Animalium moribus resistit, provocat sudorem, &c. Hinc conducit in Phthisi, Tussi, Asthmate, Peste, Pestilentialibusque Febribus. Extrinsecus discutit tumores duos, sanat Lichenes duos, Pruritus, &c. *Schrod.* Præp. sunt. 1. Sulphur factitium *Offic. Schw.* 394. *Worm.* 26. *Schw.* 394. *Schrod.* 501. *Agricol.* 592. *Aldrov. Mus. Metall.* 364. *Charlt. Foss.* 12. Sulphur flavum quibusdam. **Wymstone.** Vel ex Sulphure vivo impuriori vel ex Pyrite vi ignis educitur. Vel ex effossa glebâ coctâ sublimatur & concrevit varia figura, ut in multis *Italiæ* locis, *Sinenfi*, *Puteolani*, & *Volaterrano*. Modum sublimandi vide apud *Matthiolum*, p. 1371. Quibusdam in locis ex aquis decoquitur, ut ad *Budam*, aliisque *Pannoniæ* locis. Est substantia inflammabilis, luculenter ardens, fumumque magis cæruleum halans. 2. Sulphur Caballinum *Offic.* Sulphur nigrum caballinum *Worm.* 28. *Charlt. Foss.* 12. Sulphur caballinum factitium *Kentm.* 19. Sulphur factitium caballinum officinarum *Calc. Mus.* 174. **Wyle Wymstone.** Nihil aliud est quam feces è coctione Sulphuris vivi impurioris relictæ, & in urceos admixtis nonnunquam squamis Martis transfusæ. 3. Sulphur commune. **Common Wymstone.** Ex Sulphure vivo & Resina communi fit, & in rotulas coactum in Officinis ab Aromatopolis venditur. Apud *Wormium* Sulphur fossile Vivum seu Nativum multiplex est: 1. Planè aureum instar Cry-

stalli

stalli pellucidum. 2. Purum ex Goslariae fodinis, 3. Impurum & fixum è montibus ardentibus. 4. Subviride nativum Suecicum. Factitium vel ex aqua decoquitur, ut ad *Budam*; vel ex effusa gleba cocta sublimatur & concrevit varia figura. Ex Pyrite vario excoquantur, & fiunt quam plurimae Sulphuris species. V. *Kentmannum* p. 20.

II. De Auripigmento.

Fuligo five succus est Mineralis, pinguis, inflammabilis, Schrod. p. 498.

1. Auripigmentum, *Offic. Matth.* 1367. *Ind. Med.* xvij. *Worm.* 28. *Kentm.* 17. *Agricol.* 592. Auripigmentum luteum *Aldrov. Mus. Metall.* 353. Arsenicum croceum Auripigmentum *Charlt. Foss.* 12. Arsenicum flavum Auripigmentum *Mont. Exot.* 13. **Oypiment.** Est substantia metallica, (vel potius Minera Auri, ut vult Doctissimus *Martinus Listerus, M. D.*) coloris ex viridi flavescentis cum aureis micis, saporis acris, odorisque ingrati; in Fodinis reperitur. Auripigmentum apud *Pictores* in usu est; item in causticis medicamentis locum habet: Medici ad *Pilothra* seu Medicamenta pilos auferentia praecipue utuntur. *Turcis Reusma* seu *Chrisma* vocatur.

2. Arsenicum rubrum *Sandaracha* Graecorum *Offic.* Arsenicum rubrum, *Sandaracha* vulgo dictum *Charlt. Foss.* 13. *Sandaracha Matth.* 1367. *Worm.* 29. *Agricol.* 592. Auripigmentum rubrum *Aldrov. Mus. Metall.* 353. Arsenicum rubrum, *Sandaracha Schrod.* 498. Arsenicum rubrum, *Rifigallum*, *Sandaracha* Graecorum *Mont. Exot.* 13. *Sandaracha nativa Kentm.* 18. *Realgar Geoff. Traët.* 163. **Red Arsenick.** Effossa ex fodinis, ejusdemque naturae est cum Auripigmento, solo colore videtur differre, quia saturato colore rubro instar *Cinnabaris*. Raro in *Officinis nostris* invenitur.

III. De Bitumine.

Bituminis nomen generaliter denotat quodcumque Minerale pingue. Unde & diversas sub se Species comprehendit, concretas vel liquidas.

A. 1. Terra ampelites *Offic. Worm.* Ampelitis terra five *Pharmacitis Ind. Med.* viii. 31. *Agricol.* 595. *Aldrov. Mus. Metall.* 260. Terra Ampelitis five *Pharmacitis*, qua Medici utuntur *Kentm.* 3. Lapis ampelitis *Galeno, Charlt. Foss.* 14. Lapis obsidianus *Mer. Pin.* 217. Carbo *Theoph.* Succinum nigrum *Swenckfeld. Cat. Foss.* 394. Terra

ampelitis *Calc. Mus.* 128. *Gabal.* 28. **Cannaï Coal.** Bituminis terreni genus est fossile, lapideum, friabile, nigrum. *Vires.* Vim siccandi & digerendi possidet, malignis ulceribus medetur *Aldrov.* Vermines vitium oculos rodentes enecat. V. *Wormi Mus.* pag. 31.

A. 2. Gagates & Succinum nigrum *Offic.* Gagates *Mer. Pin.* 217. *Boet.* 335. *Worm.* 31. *Aldrov. Mus. Metall.* 418. *Gabal.* 29. Lapis Gagates *Charlt. Foss.* 14. *Calceol. Mus.* 355. **Jet.** Est genus terrae nigrae lapideae crustosae, adeo Bitumine praegnans, ut Bitumen redoleat, & accensum picis serè modo flagret, nigerrimumque emittat fumum. Differt à Terra ampelite, quod haec nec flammam emittat, nisi foliis excitetur, nec Bituminis odorem spirat; Gagates vero igni admotus flagrat, odoremque bituminis exhibet. *Vires.* Emollit, discutit, Colicum morbum sanare creditur, &c. *Schrod.* Eximii ejus usus in strangulatu Matricis & Epilepsia, Diureticae quoque facultatis est. Oleum ex eo Paralyticis conducit *Sib. Prod.* II. 44. In Hystericis, Epilepticis, Hypochondriacis, & Paralyticis commendat *Tournefortius*. Dos. à guttis Sex ad duodecim. *Wormius* Gagatem duriores tantum Ampelitis lapidis speciem facit, cumque ex politur à *Plinio* Gemmam Samothraciam, à *Nicandro* Lapidem Thracium, nonnullis Lapidem Obsidianum vocari ait. Etiam si *Agricola* Obsidianum lapidem Gagatis & Thracii speciem esse constituat, nos tamen, inquit *Aldrovandus*, ab illis diversissimum esse existimamus, *Mus. Metall.* 710.

A. 3. Lapis Thracius *Offic. Gabal.* 30. **Thracian Stone.** Nascitur in flumine quodam *Scythiae*, cui *Ponto* nomen est. *Vires.* Vis ei Gagatis Diss. Variæ inter Authores occurrunt opiniones de hoc lapide. *Matthiolus* historiam ejus ex *Galeno* his verbis tradit, (*Est & alius lapis, cujus meminit Nicander hunc in modum,*)

Si lapis uratur candenti Thracius igni, &
Post madefiat aqua, flagrabit totus: at idem
Mox oleo offuso, penitus restinguitur: adfert
Thracius hunc ad nos pastor de flumine, nomen
Cui Pontus. —

Verum nullus ejus in medicina usus: neque *Nicander* (praeter graveolentiam, quae suffitu feras fugat, quicquam ei adscripsit.) Verum tabulosum potius quam verum esse concludit, cum nec à se ipso, nec ab amicorum quoquam in Italia inveniri potuerit. *Boetius de Boet.* nonnullos cum pro Gagates, alios pro Lithanthracae habere, ait. *Wormi-*

us, ut supra diximus, idem cum Terra Ampelididi facit. In Officinis nostris *Anglicanis* hodie incognitus est. Verum cum *Dioscorides* Gagatis vires ei attribuit, Gagates pro eo substitui, & usurpari potest.

A. 4. Lithanthrax *Offic.* *Mer. Pin.* 216. Lithanthrax seu Carbo fossilis *Charlt. Foss.* 14. *Boet.* 339. Carbo fossilis seu Lithanthrax *Worm.* 31. *Gabel* 26. **Pit-Coal, or Scotch-Coal.** In agro *Derbiensi*, &c. reperitur. *Vires.* Exsiccandi & digerendi vi pollet. Ita in Gagatis aut Bituminis indurati speciebus, ut propter mixtionum diversitatem nihil certe statuere possis. *Andreas Libavius* in *Traclatu suo de Succino & Gagate*, differentias omnes supradictorum satis accurate persequitur, quem Lector consulere poterit.

A. 5. Asphaltos & Bitumen Judaicum *Offic.* Bitumen *Calc. Mus.* 174. Bitumen Judaicum *Worm.* 30. *Charlt. Foss.* 14. *Aldrov. Mus. Metall.* 381. Bitumen nigrum crassum *Kentm.* 21. Bitumen Judaicum Asphaltum *Mont. Exot.* 12. **Jews Pitch.** Est sebum seu resina Macrocosmi, picis instar, durum, &c. Supernatare primum aquis conspicitur seu lacubus, hinc ad littora propulsus concrevit, densatur, tenacissimumque redditur. Praefertur reliquis quod Mortui Maris genitura est. Hoc non solum in Littore Mortui Maris reperitur nigris calculis similis, sed & omnes circa Lacum Colles hujusmodi Bitumine aut Lapide sulphureo abundant. Vidit *Maundrellus* frustra ejus duos pedes longa latitque, quae nigerrima fuerunt, atque expoliri haud secus ac marmor potuerunt, unde patet id revera esse Fossile nativum. *Hermannus* in Insula quadam prope *Caput Bonae Spei* invenit, unde ex visceribus terrae originem esse concludit. Ejus verò probatio est, ut purpure modo splendeat (scilicet in nigrore) sitque ponderosum, & validum odorem vibret. *Vires.* Discutit, glutinat, emollit, Sanguinem coagulatum resolvit, & Menses ciet. Adulteratur cum Pice, unde quod nigrum & sordidum vitiosum est, *Pisaspphaltum artificiosum* nuncupatur. Rarissime in Officinis nostris reperitur, imo ob defectum Asphalti genuini, cogimur uti.

A. 6. Bitumen *Offic.* Bitumen vulgare *Pisaspphaltum Mont. Exot.* 12. *Gabel* 20. *Pisaspphaltos* nativum *Schrod.* iv. 208. *Diosc.* *Pisaspphaltum Worm. Mus.* 30. *Charlt. Foss.* 14. Bitumen Fossile *Aldrov. Mus. Metall.* 382. **Common Fossil Pitch.** Nascitur in *Apollonia* agro circa *Epidaurum*; ex *Cerenniis* Montibus devoluta impetu fluminis rapitur, aestuque illius exponitur illic;

coacta in glebas mistam Bituminis picem redolet, ibique concrevat, *Diosc. Vires.* Cum praecedenti viribus convenit.

A. 7. Naphtha *Offic. Charlt. Foss.* 13. *Worm.* 30. *Aldrov. Mus. Metall.* 388. Naphtha Alba & Nigra *Kemph. Amoen. Exot.* 274. Pharmacum *Medeae quibusdam.* Est coloris bituminis *Babylonii*, consistentia liquidum, ignis rapacissimum, colore nunc albo, nunc nigro. Haec quoque in Officinis nostris raro aut nunquam invenitur, ideoque loco ejus Petroleum usurpare solent. Liqueor est oleosus, instar spiritus rectificati, tenuissimus, pellucidus, penetrantissimus, ac flammæ rapax. *Vires.* Cum Bitumine viribus convenit. Sunt qui Camphoram veterum per sublimationem ex Naphtha factam esse volunt, teste *Agricola*. Alii sunt qui Naphtham & Petroleum unum & idem esse contendunt, verum cum Naphtha quid sit nondum certo scimus, non audemus determinare.

Naphtha praefens, quamvis multis atque eximiis polleat virtutibus in medicina, quas persequitur *Dioscorides*, nunquam tamen cognovi usum, scribit *Kempherus*, *Persis* praestare alium, quam ut vernicem suam eâ attemperent.

A. 8. Petroleum *Offic. Worm. Mus.* 30. *Charlt. Fossil.* 14. Petroleum Oleum Petrae *Schrod.* iii. 514. Petroleum Oleum de Saxo, Naphtha, Oleum Petrae *Mont. Exot.* 12. Petroleum five Oleum terrae *Ind. Med.* xci. Bitumen liquidum, oleo simile, quod innatat lacubus *Kentm.* 20. Naphtha five Petroleum *Geof. Laet. Ed. Angl.* 133. Oleum Petrae vulgè **Oil of Petre, or Rock-Oil.** Est liquamen pingue, liquidum, colore nigro, odoris fortis. Duplex est; vel Nativum, quod ex petris & saxis effluit, vel Artificiale destillatum ex carbonibus & fossilibus. Nativum apud *Parisios* duplex est, viz. 1. Petroleum rubrum five *Gabianum Ind. Med.* xc. An Petroleum rufum *Schrodero?* 2. Petroleum flavum five *Italicum Ind. Med.* ibid. *Vires.* Bitumen *Gabianum* antihystericum & odontalgicum aestimatur; calcacit & siccat, tenuium partium est, digerit & resolvit, cerebro, & nervoso generi confert, *Schrod.* Petroleum varii coloris est, candidum praestantius.

A. 9. Oleum Terrae *Offic. Oil of Earth.* Duplex est; vel rubrum, vel nigrum. Rubrum ex India Orientali adfertur, estque coloris pellucidi rubicundi, odoris fortis Petroleum aemulantis, sed gravioris, inquit *Schroderus*. Attamen nobis à Petroleo vel non differt, vel Officinis nostris incognitum est, *Schrod.*

Oleum Terræ Indis descriptum *Naubovio*, vix ad nos deductum, sed in *Asia* retentum à Regulis, an *Petrolei* vel *Naphthæ* species, haud ita certò definiam. Id verò quod ex Indiis venale ad nos desertur hoc titulo, parari ex oleo Nucum Cocos presso, atque terris medicatis commisto, me docuit vir harum rerum peritissimus; ideoque vegetantibus id omnino ascribendum. *Boerb. Chem.*

Hæc Bituminis genera non nisi secundum magis & minus differunt, ut quidam statuunt; ita ut pars ejus spirituosior & subtilior sit *Naphtha*, huic proxima *Petroleum*, crassior & sæculenta *Asphaltum*; non secus ac videmus & *Succino* per distillationem primò elici spirituosum & limpidum oleum, quod *Naphtham* repræsentat, mox oleum flavum & crassius, quod *Petroleum* simulat; demum materiam nigram & sæculentam, quod *Asphaltum*.

A. 10. *Pissellæum Indicum*, *Offic. Bitumen Barbadense*, *Boerb. Chem.* Pix liquida *Barbadensis*, *Pharmacopoliæ Lond.* Pix *Barbados*, *Boerb. Thesaur. Pharm.* 108. *Barbadoes Tar*. Ex *Insula Barbados* dicta adfertur; ubi sub aquis emergit, colore ex nigro rubescens, odoris gravis, consistentiæ picis liquidæ. *Vires*. *Pulmoniacum*, *Stomachicum*, & *Sudorificum* est.

Ex hoc Bitumine, addito olei *Anisi* tantillo, *Pharmacopoliæ nostri Londinenses Balsamum, Chilesis* nomine celebratum, conficiunt.

A. 11. *Succinum*, *Carabe Offic. Succinum Worm.* 31. *Charlt. Foss.* 14. *Boet.* 321. *Calceol. Mus.* 180. *Aldrov. Mus. Metall.* 403. *Mer. Pin.* 219. *Gæbel* 10. *Amber*. Nihil aliud est, quam succus bituminosus seu *Resina* terræ optimè digesta, exindè in mare traducta, atque ibidem præcipuè concreta. Dum bituminosa illa substantia adhuc liquida est, varia sese involvere solent, ut *Muscæ*, &c. *Hookius* celeberrimus existimavit *Succinum* esse Gummi petrefactum arboris cujusdam, quæ nobis planè ignota est; & ad hanc sententiam confirmandum, inter alia argumenta, petrefactionem *Ligni* aliarumque substantiarum vegetabilium adducit. Hanc opinionem postea in lucem protulit *Reverendus Derhamius*, D. D. in *Experimentis Philosophicis*, p. 315. Cui astipulatus est *Thomas Bartholinus* in *Actis Medicis Hafn.* Vol. I. Obs. 57. & Vol. II. Obs. 122. Mihi verò *Succinum* minimè esse Gummi, aut arboris resina, quod hujusmodi arbor nulla planè visa est; nec petrefactum esse Gummi puto, quippe tale nihil, quod ego audiverim, usquam sit inventum. Præterea *Ligna petrefacta*, cæteræque materiæ vegetabilis *Igni leni* nihil mutantur; *Succinum* verò & ardet, & odorem mit-

tit, haud secus ac *Bitumen*, atque in cineres tandem resolvitur. Has igitur ob causas id esse *Bitumen fossile*, ut supra scripsimus, non dubito: eamque opinionem amplexus est clarissimus *Woodwardus*, cujus *Rationes* in *Historiam* meam *Harvicensis* inserui, p. 275, 276. uti etiam *Hartmannus* in *Succini Prussici Historia*, & *Bocconius Museo di Ficcio*, p. 32. Duo *Officinis nostris* eo nomine veneunt, *Album* sc. & *Flavum*, seu *Citrinum*; utrumque quamvis laudibus suis haud destitutum sit, attamen præstat *Album*, utpote magis digestum. Eligendum id ipsum candidum, sincerum, suavè fragrans. Huic succedit *Flavum*, quod præstat pellucidum, quodque præ aliis attritu suavemhalat odorem. *Vires*. Calfacit, exiccat, roborat, astringit leniter. Capiti ac Utero imprimis dicatum est. Hinc adhibetur utiliter in *Catarrhis*, *Epilepsia*, *Apoplexia*, *Lethargo*, *Vertigine*, *Suffocatione* ac *Inflammatione Matricis*, profluvio *Sanguinis*, ac *Seminis*, quod ad naturalem statum reducit: In fluore albo mulierum. Cæterum globuli è *Succino* ad *Oculorum* defluxiones miro successu auxiliari dicuntur, annexi occipitio. *Ufus præcipuè albi*, tam internus quam externus esse potest. *Schrod.*

Pro *Succini Historia*, vide *Gæbelium*, *Hartmannum*, *Wigandum*, *Hessum*, &c. qui de illo fusè scripserunt.

A. 12. *Halcyonium*, *Spuma Maris Offic. Froth or Foam of the Sea*. Oleosa quædam aut bituminosa & tenuis substantia est *Maris* superficiæ innatans, verum unde ortum habeat mihi hætenus incognitum fateor. Nonnulli ab excrementis, lacte seu spermate piscium, aliorumque marinorum Animalium partibus originem ejus deducunt. Alii ab aliis Animalibus, quæ gelatinam referunt, Zoologis Zoophyta dictis: alii è succis Plantarum marinarum: alii denique (in quorum sententiam maximè propendo) mineralibus bituminosis submarinis ortum suum debere arbitrantur, effluviis *Maris* aestu & agitatione in *Spumam* conversis.

SECTIO QUARTA.

De Salibus Medicamentosis.

Salia nihil aliud esse videntur, quàm corpora mineralia pellucida, in aqua solubilia, ac in crystallinam formam coagulabilia. *Salia*, quæ medico usui inserviunt, adeoque præparatis inde parandis materiam suppeditare apta sunt, triplicis quidem sunt generis, pro triplici scilicet mundi regno, Minerali, Ve-